

²⁰⁰ ΘΕΩ
DISPUTATIO ETHICA
De
VIRTUTE MORALI
IN GENERE,

QUAM

*In Regia CHRISTINEA Universitate ex consensu &
approbatione Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ,*

*Liberalis Exercitij & veritatis indagandæ gratiâ
placidæ Philosophantium censuræ sub-
mittunt.*

JOHANNES S. FORSENIUS
ET
HENRICUS M. FLORINUS.

Ad diem Maij Anni 1654. horis & loco consuetis.

*Paling. Zod. vitæ lib. 3.
Ne rectum tibi judicium, ne recta voluntas
Deficiat; Namq; his sine vir bonus esse piusq;
Nemo potest. Duo Virtutum fundamina sunt hæc.*

A B O Æ.

Typis Acad. apud Viduam Petri Waldz.

Reverendissimo in Christo Patri,

DN. AESCHILLO PETRAE
S. S. Th. Doct. celeberrimo, Inclytæ Diæcæseos Ab.
Episcopo, nec non Regiæ Acad. Procancellario Ampliss.

Nobiliſ. & Consultissimo VIRO,

DN. MICHAELI Gyllenstalpe/
LL. & Phil. Doct. & Profess. Excellentissimo, p. t.
Rectori Magnifico.

Plurimum Reverendo VIRO.

DN. M. GEORGIO C. ALANO S. S. Th. Profess.
Primario, & utriusq; Ecclesiæ in Civitate unâ cum annexâ
Nummensi Pastori Dignissimo.

Reverendo & Praecellentissimo VIRO.

DN. M. NICOLAO L. NYCOPENSI,
S. S. Th. Prof. ac in Sagu Pastori Meritissimo.

Reverendo & Praclarissimo VIRO

DN. M. ABRAHAMO G. THAUVONIO,
Phyl. & Bot. Professori Laudatissimo, jam verò p. t.
Decano Spectabili.

U T E T

Viro-Iuveni Praestantissimo atq; Humanissimo.

DN. ANDREÆ PETRAE, Consistorij
Ecclesiastici Secretario fidelissimo.

Patronis, Mecenatibus, Preceptoribus, Promotoribus, Benefa-
ctoribus, fautoribus summa reverentia suspiciendus hanc
Disputationem officiose consecrat & defert

Henricus Florinus.

Pitomen universi Hominem cre-
turis omnibus corporeis longè condidit
Nobiliorem sapientissimus Creator. Ubì
enim Formas animasq; Materiæ tetricæ
immersas rebus dedisset cœteris; solus
homo, illæ naturæ deliciæ, spiraculum vitæ obtinuit,
Animamq; Rationalem tantis prærogativis eminentem
consecutus est, ut ab ipsissimâ veritate ad imaginem
Dei conditus deprædicetur. Resplenduit nimirum in
intellectu rerum omnium humanarum divinarumquæ
vera & perfecta cognitio; claruit in voluntate cum nus-
tu creatoris sua vißlima & sanctissima consensio: Eluxit
expromptum inferiorum facultatum ministerium. Hic
Monarcha ille orbis terrarum, hic universi Dominus
erat, cuius insinuare mentionem sine summâ reveren-
tiâ, nefas! sed diu hæc vix potuit integritas perdurare,
lapsus est astutiâ Diaboli delusus, & adeò lapsus, ut os-
mnes posteri mortales, per quosvis seculorum decursus,
ad hoc usque vertentis horæ momentum non cessave-
rint id damnum deplorare, sed nec in posterum, usque
quo constitutum hoc orbis duraverit corpus, unquam
cessabunt. Ignorantia quippè Intellectum, Malitia Vo-
luntatem infecit, adeò ut cum Medeâ Ovidianâ quisquis
queritari necessum habeat:

- - - - - Video meliora proboq;
deteriora sequor, - - - - -

Verum enim verò ut Misericordia verè benignissimi
Creatoris erga hominem etiam in asperâ hæc & tetrâ

rerum facie constaret promptissima, scintillulas quas-
dam imaginis suæ in mente adhuc hominis reliquit,
sed eas crebris exercitiis excitandas & pleniorē in a-
ctum deducendas. Ut itaque ad perfectionem amissam
quodammodo assurgere valeamus, Habitibus tūm In-
tellectualibus tūm Moralibus animus frequenter imbu-
endus erit, quō cognitione veri & actione honesti com-
modè perficiatur. Illud Philosophia Theoretica præstat,
quæ ex contemplatione rerum necessiarum intelle-
ctum veritatis cognitione illustrat; Hoc verò Philoso-
phia Practica exsequitur, dum hominem virtutibus in-
format ad consequendum Sum. Bon. civile; ex quā (ut
propriis ad institutum accedamus) Naturam Virtutum
Moralium in communi præsentibus hisce pagellis include-
re & pro liberali exercitio candidorum censuræ submit-
tere animum induximus. Suasit id suavissima Materiæ
Nobilitas, hoc præstantissima ejus utilitas obtinuit. Di-
vinum quippè illud Virtus est aurea, quam lex tam Divi-
na quam humana imperare satagunt. Hæc hominem extollit, & supra astra, ut ait Sap. Seneca, mortales col-
locat: Hæc Regna, urbes, Provincias, temperat, fert
leges, colit amicitias, inter propinquos liberosq; dispen-
sat. Et quis paucis condigna ejus encomia quit depræ-
dicare? Tua ô Diva Virtus plurima & maxima sunt or-
namenta, non furunculorum insidiis, non Tyrannorum
minis, non fatorum arbitriis subjecta! Tu vera homi-
nis vita es & humanitatis nostræ excellentia: Tu pro-
bos hominum mores atq; ingenia immortali gloriæ
commendas: Tu viros summâ sapientiâ doctrinâq; illu-
stres propinquâ cum Deo cognitione conjungis. Tibi
nobilitatis, tibi beatitatis meritò pal'mam boni omnes
tribuere pergimus! Sit itaq; quod felix faustumq; velit
Altissimus Dominus Exercitii hujus nostri

THEISIS I.

 N frontispicio, ne fractis quasi repagulis
huc illucquè vagabundi pererremus,
certum à nobis ordinem præsumi oportere
bona Methodus demandat. Præsentis proinde negotii pertractatio hisce
bono cum Deo absolvetur Membris, ut cùm
de *Virtutis Moralis Definitione*, *Causis*, *Divisione* & *Opposito*
paucis peractum fuerit, jam tum instituto nostro fatisfactum putemus.

2. *Definitionem* quod concernit, cum ea duplex ex, istat, offert itaq; primò *Nominalis* semet nobis prælibandam, in hāc autem tūm *Notatio Nomini*, tūm *Varia* vocis acceptio, tūm deniq; *Æquipollentia* erunt exponenda.

3. Ετυμογλογιαν quod spectat: dicitur *Virtus* I. *Lassitudinis* à *Viro* uti Cic. lib. 2. Tusc. q. Aliis venit à *virore* & *vigore* non re q. verâ *sexus foemineus* à virtutis participatione excludatur, sed quod Viro maximè congruat, quippè cui natura majorem vigorem, vires & doctes maiores contolit. Dicitur etiam *Virtus* q. *Vis* & facultas animi, quâ affectus gubernantur & rationi subjiciuntur. Appositè etiam nonnemini *Virtus* q. *Virum tuens* dicitur, eò quod virtus homines instar clypei & scuti contra quosvis exuberantium affectuum & inforsuniorum insultus protegat & tueatur. Hinc dispalescit, virtutem primùm quidem solius fortitudinis nomen fuisse, postmodùm autem quia sapientes homines prudentè deprehenderunt non minùs difficultatis in divitiarum & honorum &c. appetitu refrenando, quam in, *deliciarū doloribus* sustinendis positum esse, specie hoc nomen ad universum genus significandum traduxerunt.

4. II. *Græcis* *Virtus* dicitur ἀρετὴ vel ab ἀρετῷ, cons-

gruo, apto; ut sit congruentia cum rectâ ratione: vel
ταχὴ τῶν ἀρχῶν à Marte quod ἀρχῆ principio fortitudi-
nem designarit, quæ tempore Martis maximè se pros-
dit, vel inter cæteras virtutes maximè eminet: vel ab
ἀρχήσι, placeeo, quod omnibus placeat vel placere de-
beat: Vel ab ἵπατῳ q. ἐγαρῆ per Metathes. quod ama-
bilis sit maximè: Vel ab ἀρχῇ eligo, tūm quòd virtus
vel maximè sit eligenda, tūm quod vel ταχεῖσσις sit
vel certè non sine ταχεῖσσι.

5. III. *Hebreis* Middah dicitur à Mensurare, vel
quod affectuum & actionum nostrarum sit mensura
certissima, vel quòd ipsa ad rectæ rationis regulam tan-
quam mensuram sit exigenda. Conf. Meisn. Sob. Ph.
Sect.2. c. 2. q. 2.

6. IV. *Suecis* Dygð à duga vel diget & dyget / quòd
validum, ingentem & potentem significat, sicut V. *Ger-
manis* Eugend à tuzen valere, deduci potest: quia vir-
tus præstat maximè & excellit, adeoq; maximi est prætii,
& hominum universo generi accommoda cumprimis
& utilis. VI. *Fennis* dicitur awu (ut in nobis videtur) ab
autta/ subsidium & adminiculum præbere, idque si pla-
cet propterea, quia virtus possessorum maximè juvat,
vel quia rectæ rationi in servis suis rebellibus, affectibus
puta, perdomandis, expromptum & validum subli-
dium præstet.

7. Omnes hæ ἑταρογλογίαι virtutem ut non parim
commendant, ita ejus naturam etiam quodammodo
adumbrant. *Latina* quippè subjectum indicat scil. vi-
rum, *Hebræa* mensuram scil. Legem, *Græca* pulchritudi-
nem, ob quam sit eligenda, *Sveca* verò sicut & *Germana*,
nec non *Fennica* vim & valorem, ob quam sit magnifica-
cienda

cienda, subinnuunt. Itaq; si hæc conjungantur, descrip-
tio ex his virtutis talis dici potest: *Virtus est vis seu facul-
tas animi congruens cum lege, dirigens actiones, quam omnes
eligere & magnificare debent.*

8. Οὐγρυπίαν quod attinet, sic certum est nomen
Virtutis variis accipi modis. I. In genere pro omni eo,
quod rem quamlibet optimè reddit affectam. Sic virtus
oculi dicitur, benè videre &c. II. Ratione subjectorum,
(α) in Deo eminentia quædam & perfectio simplicissima
Virtus dicitur, ut cum Deus dicitur esse misericors,
justus, clemens &c. (β) in rebus creatis corporeis rationis
expertibus, facultas quælibet seu vis & efficacia insita hoc
nomine venit, ut virtus herbæ, lapidis &c. Sic dicitur
etiam in brutis quibusdam esse umbra virtutis. (γ) In
homine verò magis propriè virtus locum habet, & sic
vicissim variè usurpatur: (1) Quandoq; pro habitu infuso,
ut Fides, Spes, Charitas dicuntur Virtutes. (2) Quan-
doq; pro acquisito, idque vel corporis ut Robur, sanitas, pul-
chritudo &c. vel animi, & id tum intellectus, ut intelligen-
tia, sapientia, scientia, Prudentia & ars virtutes intellectua-
les dicuntur, tum voluntatis, quando habitus animi fre-
quenti actuum exercitio acquisiti, iisque electivi & ad
mores pertinentes, Virtutis nomine veniunt, quæ ac-
ceptio est hujus loci.

9. Συρόντα sunt *Virtus Moralis* & *Medium* ducens
ad Beatitudinem seu Sum. Bon. Civile. Hic verò non
Medium intelligendum, quatenus inter duo extrema
excessum &c. & defectum consistit, sed quò ultimus
finis ab Efficiente acquirendus erit.

10. Exposita sic ὁρματολογία nunc ad πρᾶγμα-
τολογίαν seu Realem definitionem melior aditus patescit,
ubi

ubi potiores quæ à varijs variè circumferuntur Virtus
tis definitiones, nobis invisere & inspicere adlubescit.

11. Aristoteles Philosophorum phosphorus ille lib.
2. Eth. c. 6. Virtutem Moralem h. m. definit: *Virtus est
habitus electivus in Mediocritate consistens quoad nos relata
ratione definita, seu ut vir prudens eam definierit.* Alius
eam dicit esse: *Constans animi propositum vivendi secun-
dum legem.* Vendelinus Eth. l. 1, c. 3. th. 2.

12. Clarissima autem omnium est illa Definitio, quam
propinat Nobiliss. & Cons. D. Gyllenst. Erg. Virt. p. 4.
& Coll. Eth. disp. 3. Th. 6. ubi definitur *Virtus promptitu-
do in homine agendi secundum honestatis normam, quæ affecti-
bus omnibus tale injungitur moderamen, ut tranquillus & bea-
tissimus, qui in hoc mundo haberi potest, status obtineatur.*

13. Quamvis autem hæ definitiones verbis nonni-
hil ab invicem discrepent, re tamen ipsa optimè conve-
niunt & conspirant, adeò ut cum conceptus harum tūm
convenientiæ, tūm differentiæ fuerit præcognitus, har-
monicus earum consensus oppidò inclarescat.

14. Genus itaque Virtutis Habitum esse omnes sanio-
res constantè asserunt, nec id ratione invitâ: *Qualis
tas enim ipsa Virtus est, E. animo necessum habet inhæ-
rere, quod si hoc, utique vel εξεις erit, vel δύναμις vel
πάθος.* Posteriora verò bina de virtute prædicari
recusant: *Potentia* quippè nobiscum connalcitur; *Affec-
tus* verò sunt repentini motus sine electione, & nobis
vel invitis accident, adeoque animum per se pertur-
bant. A *Potentiis* præterea & *affectibus*, nec bonus
quispiam nec malus unquam nominatur, suâ enim na-
turâ indifferenti modo se habent ad probitatem & im-
probitatem, quod Virtuti impingere iniquissimum
esset.

esset. Relinquitur E, quod Virtus sit *Habitus*, sed erit habitus *Electivus*, quia per actiones proæreticas, quæ à judicio Mentis & electione Voluntatis sunt, paratur, quia etiam proæreticas actiones edit, adeoq; per hoc ab habitibus *Intellectualibus*, corpori, *Naturalibus invitis* & temerarijs optimè distinguitur. Conf. Burg. id, Ph. Mor. c. ii. Vendel. Eth. c. 3. Th. 2. q. 1. p. 98. Vendel p. 71.

15. Quod verò genus virtutis concernit, ubi definitur per *constans animi propositum*, item: *Promptitudinem agendi*, sic luce meridianâ clarius radiat, sensum, cum Genere Virtutis supra declarato, hic omnino eundem esse. Quid est enim constans animi propositum, & promptitudo quædam in animo residens, longo rerum usu parata & roborata, aliquid eligendi vel repudians, aliud, quam habitus electivus, quo in agendo determinamur ad aliquid sine difficultate pristandum?

16. *Differentia definitionum ex omnium causarum confluxu* petita clarescit, hinc si juxta svetum ordinem causas Virtutum quatuor penitus rememor, jam tunc Virtutis natura nobis fiet manifesta.

17. *Efficientem E. Virtutis Causam* exposituri in *universalem & Particularē* eam primò dividimus. Illa quæ & omnium rerum est DEUS Ter O. M. Pater luminum, à quo omne bonum donum & perfectum descendere D. Jacob, cap. i:17. asserit. Namq;

*Omnes in trivio sumus & hoc tramite vita,
Fallimur, ostendat nī Deus ipse viam.*

18. *Particularis in eam quæ est Intra vel Extra hominem subdividi potest.* Illa autem vel in *Animo* vel in *Corpo*re est. Sed in *Animo* quæ residet duplex statuitur:

1. *Intellectus practicus* qui principijs activis per suu^rigitur assentitur, & per ratiocinationem conclusiones ex iis deductas ad actiones speciales applicat.

19. Itaq; 1. *Principia Præctica* nihil sunt aliud quam axiomatica quedam generalia, seu propositiones universales per se nota, à primâ infantia insite, & antequam ratio sese exercere queat, cordibus hominum digito q. Dei inscriptæ, discriminem honestorum & turpium continentibus: Dicuntur alias lex Naturæ; qualia sunt: Honestæ esse appetenda, turpia fu- gienda: Deum esse colendum: Parentes honorandos: Nenimi nocendum: Suum cuiq; tribuendum: Vim vi repellere licere: Quod tibi fieri non velis, nec alteri faciendum &c. Hæc & similia ejusmodi principia, se mina virtutum sunt, ex quibus fideliter cultu accedentes, Virtutes tandem pullulant & exsurgunt: Sunt hæc vir- tute igniculi, qui per institutionem & exercitationes excitati, tandem in flammas virtutum illustres erumpunt.

20. 2. suu^rigitur est habitus mentis, per quem promptè assentimur principiis practicis.

3. Recta verò Ratio est Rectum intellectus judicium de re quæ ex principiis practicis legitimè sequitur. Hæc plurimū ad virtutem conferunt; dum enim per illam principiis practicis assensum præbemus, Hæc varias ex iis conclusiones, Virtutum & vitiorum naturam indig- tantes, illarumq; exercitium & horum fugam studentes, elicit E. g. Si vim vi repellere licet, utiq; Fortitudini studendum, per quam iniquam nobis, proximo & patriæ vim illatam, honestè vindicamus: Si nemo est laedendus, E. amicè cum omnibus vivendum! E. Temperantie li- tandum, ne vel nos ipsos vel alios per intemperantiam laedamus: E. Iustitie opera danda, per quam suum cuiusque

que tribuendo, nemini quicquam clām vel palām subtrahimus: E. studendum *Casitati*, per quam ab amore illicito abstinentes, corporis nostri & aliorum lāsionem evitamus &c.

21. Cum verò intellectus conclusiones ita ad speciales actiones applicat, *Conscientia* exsurgit facultas mentis operativa, quæ principia actionum vel ex lumine Naturæ, vel ex lumine Scripturæ ipsi insita, applicat ad aliquid factum quod à nobis fieri vel non fieri debere aut debuisse ratio dicitat. Definiente Bald. Cas. Conf. I, 1. c. 3.

22. Hinc dispalescit pertinere Conscientiam ad Intellectum Practicum consistit enim Scientiæ applicatio ne ad opus vel factum vel faciendum. Munus ejus ratione operis faciendi est suadere, obligare & instigare si bonum, contra si malum, dissuadere & retrahere. Ratione verò operis Facti officium ejus est testificari.

23. Continetur verò *Conscientiæ* vis Syllogismo Practico v.g. hujusmodi: Qui vitiis operam dat, is Deo justissimo judici exosus erit necessum est &c. Ego vitiis operam do. E. In hoc & consimilibus Syllogismis Practicis *Propositio* est principium practicum, stimulans ad bonum & retrahens à malo. *Assumptio* est cogitatum dictum aut factum, principio isti vel conforme vel difforme; Hanc sequitur *Conclusio* evidentissima & certissima, quam concomitatur lātitia si benētristitia si malè perpetrāsti. *Propositio* ex practicis principiis Συνηγορει & rectâ ratione exsurgit; *Assumptio* per approbationem est Συνεδγεις; *Conclusio* est ipsa sententia lata, vel bona vel mala. *Propositio* agit de jure; *Assumptio* de facto; *Conclusio* de reatu & relatione ex facto ratione juris exsurgentem. Hinc itaque tribus exoritur actibus *Conscientia* pressè

loquendo, proponendo nempe assumendo & concludendo, q. scil. Legem explicat, factum applicat & sententiam pronunciat. Cum E. mala Conscientia sit q. mille testes, vermis rodens, Equuleus perpetuus, Monitor surdo verbere cædens &c. Utiq; virtuti opera danda, ut tranquillitas animi & mentis laetitia, quæ perpetuus est bona Conscientiæ comes, retineatur. Iuge hoc convivium profecto & optimus hominis est thessaurus, quem qui possidet delitosus vivit, ne teruncium habens, quam si in unum hos minem vel sexcentos confles Sardanapalos. Ut scitè more suo inquit Sperl. Antrop. p. 181. Conf. Vendel. d. l.

24. II. In Animo causa virtutis voluntas est, facultas illa animæ rationalis ad bonum appetendum ordinata. Hæc enim à rectâ ratione illuminata ejus dictamen sponte sequitur, honesta rectè agnita eligit & turpia sine coactione fugit.

25. In Corpore residens causa Virtutis est tum Bonum temperamentum, quod facit ad virtutis studium dispositivè & instrumentaliter, sic enim puritas sanguinis gignit spirituum claritatem, quæ in virtutis studio absolvendo sunt adminicula non postrema: Tum sanitas corporis, siquidem, ut inquit Cic. Opus est te corpore valere si animo velis.

26. Extra hominem causa Virtutis duplex est: Remota vel Propinqua. Illa educatio moralis audit, ut intellectus vera cognoscat, & voluntas bene agat. Hujus quanta sit utilitas vix ac ne vix quidem deprædicare possumus. Agnovit eam Crates ille apud Plut. qui, si possem, inquit, audiri ab omnibus hominibus, concenderem tarrim, & clamarem: quo ruitis homines, qui colligitis & corraditis nummos, & interim educationem liberorum negligitis!

Agno

Agnovit & eam præter cœteros, Phil. Maced. Rex, qui non tam gratulabatur sibi de nato filio Alexandre, quam quod eo natus esset tempore, quo Aristotele uti præceptore posset.

27. Est autem educatio duplex: *Amica* vel *Aspera*.
Amica (1) proponit salutaria præcepta, Leges scil. Canones & regulas, mediantibus Magistris, vel *Vivis* i. e. vivâ voce virtutem inculcantibus, vel *Mutis* i. e. libris, qui scriptam Magistrorum vocem continent. (2) Proponit *Exempla honestè viventium*, hæc enim ut non minimum adferunt momenti & adjumenti ad infundenda vitia 1. Cor. 15. 33. Ita nec minor est illorum vis in partem contrariam ad virtutes comparandas, unde de exemplis alienis dicitur: *Exemplis mollissimè suadetur*; & de propriis Poëta:

*Vel non doceto vel doceto moribus
Hac ne trahens manu, repellas altera.*

(3) Proponit *Praemia*. Nam ut certantes in stadio numerosior corona glorificat, & *Olympicos* cursus palma frequens nobilitat, ita vel minimis rebus gloriosior efficitur, cui frequenter praemia referuntur. Conf. Lud. in Viro Pract. Disp. 6.

28. *Educatio Aspera* consistit in *incredatione* & *objurgatione* verbali, quâ si errans minimè movetur, sequitur *Pœna*, etenim impunitas, peccandi magna est illecebra; undè quos natura & incredatio retinere in officio nequit, iij magnitudine pœnæ ad rectè faciendum compelluntur. Nam quemadmodum

*Oderunt peccare boni virtutis amore
Sic etiam Oderunt peccare maliformidine pœna,
qui ita in viti quamvis ad virtutem inclinantes, tandem
consuetudine quadam habitum illius ubi parant.*

29. Succedit jam tandem propinqua causa virtutis scil.
Exercitatio seu Actionum bonarū frequentatio, & continua-
tum exercitium. Quot verò numero sint actiones hæ
determinari non potest, nunc enim plures nunc
pauciores pro subiecti dispositione requiruntur, vel
prout actiones intensæ vel minus validæ deprehendun-
tur. Valor enim paucitatem facile recompensat.

30. Sed ut melius innotescat quo respectu *Actiones*
Morales sint causa virtutis, sciendum est eas esse in du-
plici differentia: Velenim possunt considerari (1) In
Statu exaltato & post habitum, quatenus honestæ jam &
continuatæ formalem rationem Summi Boni consti-
tuunt, quo respectu *Virtutis sunt effecta*, vel (2) In *statu hu-*
mili & ante habitum, & sic vicissim (α) Prout suā naturā
bonitatis & malitiæ moralis capaces sunt indifferenter,
ad honestam tamen informandæ *objectum virtutis exi-*
ternum audiunt: Prout verò (β) jam dum hominem bo-
nis moribus assuecere cæperunt, & ita disponere, ut
ad culmen virtutis plenis passibus grassari queat, eo jam
modo *causa virtutis propinqua salutantur*.

31. Asterisco autem hic notandum cum *Actionem*
Moralem causam virtutis adstruimus non hic à nobis in-
telligi *actionem invitam*, quâ quis vel vi coactus vel per
ignoranciam quid committit, cum voluntas & sciens-
tia ab ejusmodi actione planè exulent: & voluntas qui-
dem in *actione violentâ* desideratur; quia is, cui vis ina-
fertur, agendo non adjuvat rem istam, sed nec volun-
tatem patiendi adfert. In *imprudenti* verò *actione igno-*
rantia scientiam tollit, quæ aliàs si adesset, inhibitura
esset actionem istam. Horum autem si alterutrum ab-
fuerit, non potest reverà propter suam actionem, licet
bonam, laudibus quis & præmiis ornari, nec versa vice,

ob malam reprehendi & poenas luere. Nob. Gylenst.
Erg. Virt. p. 5.

32. Hinc ergo consequitur actionem illam quæ causa erit virtutis spontaneam esse debere, id est talem cuius principium est in ipso agente singulas circumstantias sciente.

Hujus actionis principia proxima ab Ethicis tria recenseri solent: *Consultatio*, *preelectio* & *volitio*. Intellectus enim primum proponit finem, eundem voluntas appetit & intendit, sed ignorans interim quibus queat mediis eum consequi, impetrat ab intellectu, ut de mediis legitimis & honestis cogitationem instituat. Deinde hinc ergo incipit βέλενσις *Consultatio* actus intellectus, quo de mediis ad finem ducentibus ratiocinatur, que dein προαιρετις *Preelectio* actus ille voluntatis eligit, facto initio ab iis sine quibus ad reliqua aditus non patescit, hanc denique βέλησις *Volitio* ipsa excipit appetitio scil. boni cum ratione, quæ corporis membra commovet, ad consequendum finem propositum, undè actio tandem moralis seu executio rei volitæ subsequitur.

33. Illa agendi facultas εὐτελεσία Liberum Arbitrium vocatur quod est facultas, quâ homo ab intellectu cognita pro placito vel suscipere vel repudiare potest. Intelligitur a. hic liberum quod in utramq; partem potest inclinare sive libertas detur contradictionis, quâ respectu specificationis attuum, ex pluribus objectis, positis liberè eligitur unum, negliguntur verò cœtera. Sive contradictionis quâ mota ad exercitium Voluntas circa unum objectum positis omnibus ad agendum requisitis, potest nihilominus agere vel non agere, velle vel non velle.

34. Tollit E. libertas *Necessitatem* non decreti divini, nec præcepti, nec promissi, potest enim quid decreatum præceptum & promissum esse & tamen liberum; sed necessitatem tollit *coactionis*, quoad *actum voluntatis elicitum*, cùm impossibile sit eam talem elicere actum, qui inclinationi ejus repugnet; Sed tamen quoad *actum imperatum coactio locum*, habere videtur, dum in aliis potentissimis aliter ab externo principio geritur res, quam ipsa imperat & fieri velit, quamvis & hæc coactio impropria sit, nam cum facultates inferiores ab imperio rationis abstrahuntur, rectius impediri dicitur voluntas, quominus exsequatur quod vult, quam cogi facere quod non vult. Et hactenus de Efficiente Virtutis.

35. Materialis causa cum in accidentibus non detur ex qua, Analogias tamen duplēcē Virtuti Materiam In qua scil. & circa quam res ipsa jubet assignare.

36. *Subjectum* itaq; Virtutis Moralis *Appetitum Rationalē statuimus*, seu ipsam *Voluntatem*. Est enim virtus habitus electivus, hinc quia electio & libertas in rationali appetitu subjective fundantur, consequens ergo est inibi virtutem etiam tanquam in proprio subjecto radicari. Porro: Sicut intellectus per lapsum protoplastorum, ignorantiae rubigine læsus habitibus intellectualibus informari desiderat; ita voluntas mediantibus Moralibus Virtutibus, Malitium ex affectuum inordinatione ortam expellere, adeoq; liberiūs hoḡe per devia gravantes, rationis capistro refrænare & in rectam reducere viam maxime necessum habet. Et quid volumus? Nonne virtus proprium est hominis, nonne bestiis incompetens? Quis ergo crassō glaucomate occæcatus Virtuti proprio hominis accidenti proprium subjectum voluntatem velit denegare?

37. Illud verò dum constantè afferimus, non difficiemur interim ad sensum quoq; appetitum aliquo modo virtutes morales pertinere, quia in ejus *actu* e-mendandā versantur, sed ita Virtus non ut in Subjecto recipitur, sed ut circa objectum occupatur..

38. *Materia circa quam seu Objectum Internum sua^e Affectus Appetitus Scil. Sensitivi Motiones, cum non natura- li corporis mutatione ab Objecto bono vel malo, à Phantasiā pro- posito & estimato, ad illud consequendum, hoc vitandum exara- ta, ut individuum conservetur & optebiliori statu fruatur.* Horum Subjectum est appetitus sensitivus, cuius cum duæ sint facultes, concupisibilis habens pro Objecto bonum pro- sequendum & malum fugiendum simpliciter tale. & Irascibilis respiciens bonum vel malum arduum, hinc omnes omni- nō affectus recensentur undecim Sex in Concupiscen- te & quinque in Irascente sese exercentes, qui quidem in se Spectati quatenus motiones sunt appetitus sensitivi, Physicæ sunt contemplationis, moraliter nec boni nec mali. Prout verò imperio rectæ rationis & volunta- tis subjacent, Virtute Morali non tollendi & planè aver- runcandi; Sed domandi, temperandi & moderandi, eo jam modo hujus sunt considerationis.

39. *Forma virtutis ορόγραψη est, seu ipsa rectitudine & congruentia cum rectarationis normā seu lege, que actionibus nostris certos fines prescribit,*

Quos ultra citraḡ nequit consistere rectum.

Vel si Aristoteli credendum, Mediocritas inter duo extre- ma, definita quoad nos ratione viri prudentiæ. Mediocritas enim & congruentia cum rectitudine & lege tam arcto nexu cohærent, ut unum sine altero esse aut existere nusquam possit, adeo ut si formam Virtutis μετόργανης ac-

curatè loquendo non constitut, ejus tamen immedia-
tum adjunctum & essentiale consequens omnino
erit.

40. De Medio verò ubi sermo, est apprimè tenen-
dum non hic *medium* intelligi *Indivisibilitatis* sed *latitudi-
nis*; Non *Participationis*, quatenus extrema sunt vitio-
sa; Nec *Abnegationis* quoad actus, sed *Positionis* seu *Propor-
tionis* & *Perfectionis*: Adeoq; non *Medium Rei*, quod æ-
qualiter semper distet ab utroq; extremorum, nisi in ju-
stitia commutativâ; sed *Rationis* seu *Personæ*, quod uni
extremorum vicinius, ab altero vero remotius existit.
Non enim *Virtus Moralis* æquali prorsus intervallo ab
extremis distat, sed ad varias semet circumstantias ac-
commodans, interdum excessu, quandoq; etiam defe-
ctui vicinior est.

41. Cum Virtutem in Medio Personæ diximus
consistere, neminem hic terminus *Personæ* offendat.
Non enim id ita acceptandum q. Medium Virtutis nul-
lo modo in re cernatur, sed quia id non cognoscitur
præisè ex conditione & qualitate rei, verùm ex habitu-
dine & commensuratione ad personam operantem,
certis limitibus & circumstantijs prudentè considera-
tis. Conf. Præt. Eth. Part. Gen. 8. 1. p. 1.

42. Finis demum Virtutis Moralis duplex est:
ꝝ nai òò .Finis cui Homo est, sed cuius gratiâ, isq; absolutè
summus est gloria Dei: In suo verò genere summus est èn d'ar-
morie Summi Boni consecutio ejusq; consequens tran-
quillus & jucundissimus in hoc mundo status. Et ad-
huc de Definitio re Virtutis & causis ejusdem.

43. Succedit jam *Divisio* Virtutis; Ubi omis-
sis

sis hic aliorum distributionibus, quas videsis apud Ethicos, asserimus cum Nob. & Cons. D. Gyll. Coll. Eth. Disp. 3. Th. 32. Vel Secundum *Gradus* (sc. rat. εξερι-
ας) vel *Species Virtutem* commodissimè dividi. Illo-
rum intuitu est inchoata vel imperfecta, ut *Continentia* &
Tolerantia; vel *Communis* seu *Perfecta*; Vel *Heroica* &
Eminens.

44. *Species* autem sunt *Pietas*, quā Deum ritē
veneramur, & *probitas*, quā nos ritē gerimus in huma-
nis. Hac vel respicit *alios* ut *Iustitia* vel *nosmetipos* ;
quae vicissim vel circa *Affectus* versatur; Vel circa *con-
versationem*; *Affectus* Virtute dirigendi præcipue tres
sunt, *Cupiditas*, *Metus* & *Ira*. Circa hanc versatur
Mansuetudo; Circa illam *Fortitudo*; Ista autem vel in
Voluptate cernitur, vel in *Divitijs*, vel in *Honore*. Circa
Voluptatem versatur *Temperantia*; Circa *Divitias* &
sumptus *Mediocres Liberalitas*; Circa *Magnos Magni-
ficentia*; Circa *Honores mediocres Modestia*; Circa
Magnos Magnanimitas. In *Conversatione* verò vel
attenditur *Veritas* vel *Iucunditas*. Illam spectat *veraci-
tas*: Hanc verò in *serijs* & totā vitā *Comitas*; In *locis Urbis*
nitas. Quarum pleniorem circa considerationem Es-
thicorum Chorus occupatur..

45. Sic itaq; Virtutis *Moralis* naturā cognitā,
quid ejus sit *Oppositum* (quod in hac materiā tantum
restat tractandum) facile dispalefecit, Scil. *Vitium
promptitudo est male agendi contra honestatem &
recterationis normam*, quā *affectibus* sua permitti-
tur *licentia*, adeoq; vel in excessu vel in defectu pec-
catur. Velut dicit Isend, Coll. Eth, Exer. 4.

Est Habitus Electivus cum Mediocritate, rectâ ratione & viri prudentis judicio pugnans.

46. Hinc E. Confit Vitium statim non esse strictè loquendo ubi semel vel ex affectu, vel imbecillitate aliquâ quispiam impingit, sicut pro Virtute non habetur, quod quis semel vel fortuitò rectè egerit: Sed tum demum, cum ita animo affectus est, ut quod agit, consultò agat, nec nisi cum Promptitudine, jucunditate vel voluptate mala perpetrat.

47. *Extrema* a. illa, quorū in medio Virtus consistit, Excessus sunt & Defectus, quæ quandoquè uno vitio comprehenduntur, cum vidz. una actio plus vel minus habet, ut in Injustitiâ accidit. Sed duo distincta vitia oriuntur, quoties distinctæ sunt actiones, quorum una tantum excedit, altera deficit tantum, ut in cœteris vitijs omnibus contingere certum est.

48. Coronidis loco duo obseruentur: *Unum* est: Vitium Opponi Virtuti, vel Contrariæ, quatenus quoad totum suum Complexum ex actu & rectitudinis defectu, spectatur; Vel Privative, quatenus quoad formalem rectitudinis parentiam conformitati oppositam consideratur. Alterum: Vitia respectu Extensionis & quoad objectorum latitudinem magis sibi invicem quam Virtuti; Ratione verò sui ipsius magis Virtuti quam sibi invicem opponi.

Et tantum pro instituti ratione de
hac Materiâ.

Móv. τῷ Θῷ Δόξᾳ.

Orna-

Ornatissimo Juveni,

DN. HENRICO MATTHÆI
FLORINO, de Virtute Morali soler-
tēr Disputanti.

*Collige vernantes, quas ver nunc afferet herbas,
Florine, haud ventis Sole vel occiduas,
Quales quærenti præbent florentia Doctum.
Prata herbas, Virtus quas tibi Sponte dabit.
Hoc tibi succedat studium, quod Præside docto
Aggrederis solers, cedat utrig' benè !*

L. Mq;.

ÆSCHILLO S PETRÆUS
Ep. Ab.

*D*Elicia Eusebiæ ac Lectissima pignora Musæ:
FORSEN I Præses Clare Magisterio;
Et FLORINE charis Patrijs oritura lucerna:
Ambo Sacerdotum pulchra propago virūnls,
Virtutem Sanctam studio dum volvitis, opto
Cælitùs ambobus Munera colloquij.

*Doctissimo Dño Præsidi & Literatiß.
Dño Respondenti, Amicis suis in-
timis b. p. votum declaravit
ABRAHAMUS THAUYNIOUS
Ph. P. P.*

U Nicus ille labes, Homini remanet miserando
Summus & ille labor, virtutis scandere culmen,
Hec nunquam satis à Doqis celebrata Camænis,
Hanc satis & nunquam Coluit mens conscientia recti,
Proh Dolor: Ergo nimis Mens depravata recessit
Æterni Domini è vultu! Proh, Daemonis r^uta,
Propulsi ex horto, primi cum jure Parentes,
Vix igitur restant, post votum, vix meliora
Pharmaca, quæ possint enservare levare dolorem,
Virtutis placido cultu quam Compita semper
Semper & assiduè, factis actisq; tenere,
Hinc Ergò quivis virtutem laudibus ornans
Te F L O R I N E simul mecum eum Præside Claro
Laudabunt, Florem virtutis rite vocabunt.

Ita Viro Iuveni, literarum Virtutumq; Flori Flos
rentissimo de Virtute moralis, ingeniose &
nervose disputanti

L. Mq;

addidit licet occupatissimus

ANDREAS PETRÆUS,

Virtutem claro sub Præside discutis arte,
Namq; homines virtus undiq; rite polit:
HENRICE hanc igitur, tu viribus excusat totis,
Ut Patriæ gratus sis, tibi gratus item.,

Non ut voluit, sed ut potuit Præstantissimo
Dño Respondenti accinebat

IOHANNES ÆSCH. PETRÆUS.